



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Scripturæ utilitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Terra autem in aeternum stat.* Ecclae. 1. 4. Sacra scriptura terra appellatur: instar enim terrae immobilis est, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit. Olympiodorus hic.

*Meliora ubera tua vino.* Cant. 1. 1. Duo ubera, duo Testamenta intellige; à quibus lactentur Ecclesiae filii; lingua, atque mente; corde, & ore. Philo Carpath hic.

*Introduxit me Rex in cellaria sua.* Cant. 1. 3. Quid per hujus sponsi, qui Rex est, cellaria intelligimus? nisi sanctae scripturae arcana, quae rimamur? nisi sanctae contemplationis mysteria; quorum deliciis si reficimur, mox convalescimus. Sanct. Gregorius hic.

*Favus distillans labia tua.* Cant. 4. 11. Hunc favum congerit anima de diversis scripturae floribus: hos perquirat, his infidet; de eis suavitatem spiritualis dulcedinis extrahit, & elicit. Richardus à S. Viçt. hic.

### Ex Novo, & Patribus.

*Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro.* Matth. 13. 44. Videtur ager esse scriptura, consta manifestis historiae verbis, & legis, & Prophetarum. Porro thesaurus in agro absconditus; sunt reconditi, & sub manifestis verbis latentes, sapientiae in mysterio reconditi sensus. Origenes hic.

Divina scriptura, Mundus quidam est intelligibilis, suis quatuor partibus, velut quatuor elementis, constitutus: cujus terra est velut in medio, imòque instar centri, historia: circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiae: circa quas historiam dico, & Ethicam, aer ille naturalis scientiae circumvolvitur, quam Graeci dicunt Physicam. Extra autem omnia, & ultra, aethereus ille igneus ardor empyrii caeli, hoc est, supernae contemplationis divinae naturae; quam Graeci Theologiam nominant, circumglobatur. Origenes hom. 2. de diversis.

Mare est scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Prophetarum anigmatum; in quod mare plurima introierunt flumina &c. S. Ambros. ep. 44.

Harum molarum operatione, id est, novi, ac veteris Testamenti, hoc agit S. Ecclesia curam per vigili: ut, peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat; & caelestibus mandatis mundata, ex intimis spiritualia alimenta producat. S. Gregor. Naz. hom. 2. de adv.

Est quidem sacra pagina pharetra quaedam spiritualis; in qua sagittae acutae, & ignitae, latent. Hanc nemo Deo militans derelinquat. Just. de calto connub. c. 6.

Quid sunt aliud divina eloquia, nisi quaedam lilia, emanantia candorem puritatis, & gratum puritati spirantia odorem suavitatis? Sanct. Amedeus Ep. hom. 6.

Tota scriptura est quasi una cithara. Et sicut chorda per se non facit harmoniam; sed cum aliis: similiter unus scripturae locus de-

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

pendet ab alio; imò unum locum respiciunt mille loca. S. Bonaventura f. 19.

### §. II.

#### S. Scripturae dignitas, laudes.

*Disce ar Dei in verbis Dei.* S. Gregor. cor. M. ep. 329. his verbis Theodorum medicum invitat ad studium sacrarum literarum.

DEUS iterum suam erga illos (homines) amicitiam innovare volens, quasi longè absentibus literas mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam. S. Chrysof. hom. 2. in Gen.

Nihil in S. Scriptura invenire licet, quod absque ratione aliqua sit scriptum. Id. hom. 28. in Gen.

S. Basilii in Psalm. 59. Libros sacros appellat dona divinitus missa, & cibum animarum.

Est sacra pagina sapientiae verbi speculum, divinitatis armarium. Sanct. Laur. Just.

Sunt sacri libri arma Clericorum, Ecclesiarum divitiarum, & thesauri doctorum; tubae sacerdotum, solatia Religiosorum, epulae devotorum, testamenta sanctorum, organa Spiritus Sancti. Thom. Kemp. conc. 20.

### §. III.

#### S. Scripturae utilitas.

##### Num. I.

##### Cibus.

SCRIPTURA sacra, cibus, & potus, est. S. Gregor. l. 1. hom. 10. in Ezech. 3.

Bona pasqua sunt libri sunt scripturarum caelestium; in quibus quotidianam lectionem pacimur; in quibus recreamur, ac reficimur: cum ea, quae scripta sunt, degustamus; vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuus grex Domini faginatur. S. Ambros. Octon. 14. in Ps. 118. sub initium.

Bibitur scriptura divina, & devoratur scriptura divina; cum in venas mentis, ac vires animae, succus verbi descendit aeterni. Sanct. Ambros. in Psalm. 1. sed in lege Domini ante finem.

Scriptura divina, convivium sapientiae est; singuli libri, singula sunt fercula. Sanct. Ambros. offic. c. 32.

Est scriptura mensa Domini purissima. Petrus Cell. l. de panib. c. 9.

##### Num. II.

##### Medetur.

S. Augustinus in Prologo super Psalmos, ait, scripturam divinam hac de causa à Spiritu Sancto conscriptam, ut, velut ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedii propriis passionibus assumamus. Ad sacrarum scripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est; ubi dolorum certa remedia. S. Hieron. in Joan. 11.

S. Athanasius divinos libros appellat variam medicinalium librorum sapientiam.

Kkk k 2

Nulla

Nulla est tentatio, nulla adversitas, nullum infortunium, nulla calamitas; cui non Sacra scriptura medeatur; succurrat consolatione, consilio, vel aliq̄ quopiam remedio. S. Thom. Vill. f. D. 1. Quadrag.

Num. III.

*Ejusdem varia utilitas.*

*Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Prov. 8. 34. Fores suas, & postes ostii sui, scripturas sanctas, & earum Doctores, nuncupat: sine quibus ad vitam, quam pollicetur, non valeamus ingredi. V. Beda hom. in Purif. B. V.

*Scriptum est: non in solo pane &c.* Matth. 4. 4. Discamus hinc omnes, arma nostra sacras esse scripturas: ideo namque IESUS omnes has tentationes solis sacris scripturis vicit: ut doceret nos sic pugnare, & vincere. Nulla enim poterit nos suasio ad malum trahere; si consultis sacris scripturis actiones, & omissiones, nostras direxerimus. Cajetanus hic.

Nihil ita parvum in sacris scripturis invenitur, quod magnam nobis utilitatem non pariat. S. Cyrill. Alex. c. 102. in Joan.

Sunt in scripturis sanctis profunda mysteria; quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quærentur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant. S. August. in Ps. 140. Præfat.

Non parvus est fructus, si aliqua obscura, & incerta, quæ comprehendere non valemus: clarum saltem, certumque sit, nobis esse quærenda: & quod unusquisque vult discere, putans prodesse, si sciat, discat, non obesse, si nesciat. S. August. lib. de cura pro mortuis habenda.

Quidquid salubriore mente concipitur, vel ore profertur, vel de quolibet divina pagina exculpitur; non habet finem, nisi charitatem. S. August. in Psalm. 140. Sacra scriptura nitidissimum speculum est; talem reddens vultum hominis, qualis est. Quem pagina sacra redarguit, etiam si ab omnibus commendetur, deformis, & foedus, putandus est. S. Thom. Vill. S. in octava Pasch.

Via regia, quæ itur ad investigationem veri, S. Basilius ep. 1. ad Gregor. Naz.

Quidquid homines, alter alteri, vel dicere verentur, vel ignorant; hoc sacra literæ & sanctissime audent, & uberrimè noverunt. Philo Carpath. in Cant. 5. 1.

Tota sacra scriptura hæc tria docet: scilicet Christi æternam generationem, & incarnationem; vivendi ordinem; & DEI, & animæ unionem. S. Bonaventura libello de reductione artium ad Theologiam.

§. IV.

*Sacra scriptura delectat; similis horto.*

**C**arpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam; hoc est, Dominici corporis sanguinem. Sanct.

Ambrosius Octon. 14. in Psalm. 118. Deambulat in paradiso Dominus, quando divinas scripturas lego. Paradisus est Genesis liber, in quo pullulant virtutes Patriarcharum. Paradisus Deuteronomium; in quo germinant legis præcepta. Paradisus Evangelium; in quo arbor vitæ bonos fructus facit. S. Ambros. l. 4. ep. 31.

Non tantummodo pratum, sed & paradus est, divinarum lectio Scripturarum: non enim fragrantiam nudam habent ejus flores, sed & fructum, qui animam nutrire possit. Sanct. Chrysost. hom. 1. ad Populum Antioch.

S. Cyrillus l. 4. in Gen. vocat agrum fertilissimum. Ildorus Pelusiota l. 3. ep. 388. prata felicissima.

Vos, ni fallor, estis, qui in hortis habitatis: qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte: & quot libros legitis; tot hortos perambulatis: quot sententias legitis; tot poma carpitis. Guarricus f. de S. scripturæ utilitate.

S. Carolo Borromæo suadebant amici, compararet sibi hortum juxta Palatium Archiepiscopale, quò fatigatus se conferret. Respondit: Episcopi hortus sacra scriptura est. Joan. Petrus Tufanus in vita ejusdem.

§. V.

*Sacra scripturæ lectio, cognitio.*

**O**culi tui columbarum. Cant. 1. 14. Quòd oculi ejus comparantur columbis, ob hoc profecto contingit: quia divinas scripturas, non jam secundum literam, sed secundum spiritum, intelligat; & aspiciat in eis spiritualia mysteria. Columba enim indicium est spiritus Sanctus. Origenes hom. 3. in Cant.

*Habent Moysen, & Prophetas; audiant illos.* Luc. 16. 29. An Moyses, aut Prophetarum, tempore hæc acciderunt? Minime; sed, nomine Moysis, & Prophetarum, eorum scripta intelliguntur. Cur non dixit? eos legant, sed illos audiant? quia imperitorum non est sacras scripturas intelligere; sed à Doctores earum expositionem audire. Audiant libros Moysis, & Prophetarum, à legis peritis: ex illis, quæ sunt ad consequendam salutem necessaria, cognoscant. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 3. sect. 3. §. 2.

Quomodo in his nostris literis non potest quis ad legenda verba, texendaque, procedere; nisi prius ab elementis ceperit: ita in scripturis divinis non valemus ea, quæ majora sunt, nosse; nisi ab Ethica in ipsas habuerimus exordium. Sanct. Hieron. Proœm. in Lament. Jer.

Nihil præclarus, nihil animarum saluti conducibilis, est, quàm divinas scripturas perscrutari. S. Joan. Damasc. l. 4. c. 18.

Dum divinam scripturam aggredieris, tanquam qui relaturus sis, quæ audieris, meditare. S. Ephrem de perf. Monachi.

Miscel-